Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 429
Quelle:
Copyright:

ultimam referens, in quo nec *Judae* nimbus suus deest. Nobis p. 2. ejusdem *fol.* comparet; divisit *Scherzius* et loco magis congruo ad p. 256. inseruit. De tertio Iconismo egit jam *Lambecius* p. 432. qui, ut probaret, *Christum* etiam tum vivum in Cruce proponi, addere potuit, latus carere vulnere. — Sed haec minuta.

CLIII.

484 Codex membraneus lat. germ. Sec. XIV. Folior. 107. 4. nitide per duas columnas exaratus, minio distinctus et olim κτημα Monasterii *sancti floriani patauien. dyoc.* exhibet: I. Επιτομην *Historiae Veteris Testamenti* absque Titulo sic incipientem: *In principio creauit deus celum et terram. id est. continens et contentum videlicet celum Empyreum et angelicam naturam. Creatus est autem in principio mundus hoc est in filio* &c. Non abstinet Autor traditionibus incertis. Ita, dum agit de innoxia primorum Parentum nuditate, subdit: *Vnde sanctus Zacharias cum sanctam Elyzabeth cognosceret ad gignendum sanctum precursorem domini, tamen uidere noluit.* Multa praeterea 'απο-κρυφα ex *Historia Scholastica, Vincentio Bellovac.* &c. admiscet; circa Reges vero *Assyriae, Persiae* &c. *Flav. Josepho* utitur. Finit in *Machabaeorum* Historia his verbis: *Cepit Johannes predicare Baptismum penitencie in remissionem peccatorum.*

II. *fol.* 48. Glossarium Vocum hebr. graec. et lat. adjecta quandoque significatione germanica, hoc initio: *Abba pater syrum nomen est. Absida Ceres ceruisiarium vel tabernum. Abilina* (Avellana) *nux uel arbor nucaria id est basel. Abegelata id est inuiolata. Ambubage sunt uage mulieres. Abies genus arboris seu tann* &c. Atque ita ordine alphabetico proceditur usque ad: *Zingiber genus tritici. Zygos genus, Jugum.*

III. *fol.* 106. p. 2. finem faciunt Nomina Avium, Quadrupedum, Arborum et Piscium versibus hiulcis inclusa, quibus minio inter lineas impositus est Significatus Teutonicus. Versuum initium:

De Avibus: *Hic uolucres celi referam sermone fideli.*
De Quadruped. *Nomina paucarum sunt hic referenda ferarum.*
De Arborib. *Ecce stilo digna ponam campestria ligna.*

Pisces tantum distichum faciunt, cui minio subjectum:

Penna gradum siste quoniam liber explicit iste.

Lubet hic in Popularium gratiam aliquas interpretationes adscribere: Merops *Grunspach.* Monedula *Tache.* Noctua *Aubull.* Amarellus